



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

11. An turpis quaestus ab accusatione excludat? solvuntur objecta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

*per totum.* sive sint infames ipso jure, sive ipso facto sive per sententiam, ut ibidem ponuntur exempla: & sicut infamato interdicitur accusatio, sic & accusatio popularis, ut *ff. de pup. act. l. popul.*

II. Sexta ratio repellendi ab accusatione censetur, turpis quæstus, ut qui duo judicia adversus duos reos subscripta habet vel nummos ob accusandum vel non accusandum accepit ut *L. qui accus. ff. de accus. can. prohibentur. 11. q. 1.* de primo præsumitur, quod ratione quæstus vult tertium accusare, de secundo etiam certum est, quia in incertis non in certis conjecturæ locus est, ergo duos licet simul deferre, non autem tres. **OPPONES** *L. eos §. L. Julia ff. de accus.* dicitur quod duos accusare possum, si meam prosequar injuriam, item *L. cum rationibus. C. qui accus. non poss.* habetur quod de duobus reis simul quis eodem tempore quæri non potest. *L. eos cit.* Alibi iterum habet lex, quod tres possum accusare, si injuriã meam prosequor ut ait *L. cum rationibus.* Alibi etiam jura dicunt, quod etiam si injuriam meam prosequor, duos non possum similiter accusare,

ma-

marem & foeminam, ut *C. de adult. L. reos*  
*& C. ad L. Jul. de adult. L. si maribus §. ult.* A-  
 libi item dicunt jura, quod si duos reos ma-  
 ritus ex aliquo crimine habeat, potest ta-  
 me tertium de adulterio accusare, quoni-  
 am ea causa, scilicet causa adulterii, no ca-  
 dit in numero caeterorum. ut *ff. ad L. Jul. de*  
*adult. L. inter. §. ult.* & alibi jura censent,  
 quod adulterum vel adultera & illam qua  
 domum praebuit vel consulto fecerit, ut  
 crimen redimeretur, accusare possum, ut  
*L. nihil interest. §. ultim. ff. de adult.* & deniq;  
 dicunt jura, quod unus tres accusare po-  
 test. ut *C. si reus vel accus. mor. fu. L. 1.* quo-  
 modo haec subsistunt? Respondetur cum  
 distinctione, aut unus accusat duos vel  
 tres, vel plures de diversis criminibus, aut  
 eodem. Item aut prosequitur quis injuri-  
 am suam & suorum, aut publicam accusa-  
 tionem: si de diversis delictis & in diver-  
 sis libellis, tunc duos accusabit, tertium  
 non, nisi prosequatur injuriam suam vel  
 suorum, & tunc potest in eodem libello: si  
 autem de eodem crimine unus plures accu-  
 saret, posset & forte in eodem libello: licet  
 quidam dicant quod cuilibet libellus dan-  
 dus

dus

dus esset. per *L. eos cit. §. lege. & L. libello-*  
*rum. §. pen.* DICES si plures accusare ve-  
 lint unum, non possunt, imò unus eligi-  
 tur ad accusandum. ut *L. si plures ff. de accus.*  
 ergò neque unus poterit accusare plures.  
 Respōdetur disparitatem esse in eo, quod  
 si plures accusarent unum & in accusatio-  
 ne deficerent, cum calumniantes poscat  
 ad vindictam similitudo supplicii ut *L. ult.*  
*C. de accus.* Maxima hæc esset inæqualitas,  
 & tot occiderentur pro uno solo, qui es-  
 set occidendus si convinceretur: at quan-  
 do unus accusat plures aut probat contra  
 unum, & tunc ille condemnabitur, & ni-  
 hilominus procedetur contra alium, con-  
 tra quem si probat, similiter & ille con-  
 demnabitur, si non probat, vel contra pri-  
 mum vel contra secundum, punitur accu-  
 sator: & sic nulla iniquitas in hoc casu e-  
 mergit.

Ex quo SEQUITUR; si Universitas de-  
 lictum in aliquem committat, posse omnes  
 de ea accusari, etiam criminaliter *L. me-*  
*tum. ff. quod metus causa.* posse item omnes  
 puniri: ut *C. de remilit. lib. 12. L. tam collatio-*  
*nes.* & quamvis in eo casu posset Univer-  
 sitas

fitas syndicum constituere, contra communitatem tamē sententia ferenda esset.

Porrò qui receperunt pecuniam ob non accusandum de illis planum est, quod accusare non possunt, propter pactum appositum, licet turpis quæstus sit: sed illi qui receperunt ob accusandum eodem modo repelluntur ob turpem quæstum, & talis contractus est nullus. *L. generaliter. ff. de verb. oblig.*

12. Septima ratio repellendi ab accusando est, si sunt socii & participes criminis eorundem, qui accusant ut *L. si liberum C. de liber. caus. C. de Episcop. & Cler. si quemquam*; sicut etiam nec in testes admittuntur ut *L. quoniam C. de testib.* idemq; est, si fortè simile crimen commiserunt, ut *L. viro ff. solut. matr.* nisi ut supra dictum sequantur suam suorumq; injuriam. De his qui repelluntur ob paupertatem ab accusatione quid juris? Dico rectè rejici: quia de iis est suspicio & præsumptio corruptionis *L. nonnulli de accus. in P. can. prohibentur. 2. q. 1.* si non habeant 50 aureos in bonis vel centum S. *sed nostra de success. libert.* cogit enim paupertas ad immania, ut  
etiam